

peccato originali nos morte sua redemisse. 2º. STEPHANUS I. edito contra rebaptizantes decreto approbat baptismum hæreticorum omnium, et hinc etiam sine legitima forma baptizantium: NICOLAUS I. in resp. ad Bulgaros c. 104. ratum habet baptismum in nomine Christi collatum: STEPHANUS II. demum baptismum in vino datum probat. 3º. JOHANNES XXII. testantibus pluribus sensit, asseruit et definivit, visionem Dei intuitivam et faciem mortuis etiam justis differri usque ad resurrectionem universalem. 4º. GREGORIUS III. litteris ad Bonifacium Moguntinum datis statuit, a viro posse admitti uxorem, ex infirmitate impotentem ad reddendum debitum: COELESTINUS III. definit matrimonium dissolvi posse, conjuge altero in hæresin lapsa: ALEXANDER III. Cap. Licet. de sponsa duorum, dum matrimonium ratum alio consummato superveniente non dissolvi docet, aliud placuisse suis prædecessoribus memorat. Ergo.

R. 1. D. Cons. Pontifices docuerunt errores aut hæresin ut Doctores privati, T. ut magistri universales et loquentes e cathedra, N. Non omnia Pontificum Rescripta habere necessarias definitiones, manifestum est: accusatos etiam hic Pontifices, exceptis paucis nequidem personali judicio errasse, facile ostenditur.

Hinc R. 2. et quoad 1. N. Ass. Nam BONIFACIUS V. exceptionem illam non fecit, nec vox *solo* in epistola legitur. Solam tamen is fecit peccati originalis mentionem; tum quia hoc est principale peccatum, ad quod delendum Christus præcipue mortem oppetiit; unde Joan. 1. v. 29. in græco legitur: Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi: tum quia illud solum commune est toti mundo, ac in parvulis reperitur.

Quoad 2. Dico: STEPHANI I. decretum unice volebat nihil innovari, sed observari quod traditum erat; spectabat controversiam, quæ circa ministri fidem, non autem sacramenti formam vertebatur; ab ipsis Firmiliano et Cypriano accipiebatur de baptismo sub Trinitatis invocatione collato; ab universa demum Ecclesia acceptabatur: adeoque erroneum esse non poterat; præsertim cum illud a quacumque hæresi venerit restringatur a contextu et substrata materia, fueritque eodem sensu ab Eusebio, Hieronymo et Augustino citra noxam usurpatum. Similiter NICOLAI Responsum haud agit de forma baptismi, sed de fide partim subjecti seu recipientis, partim ministri seu dantis baptismum. Capitulum STEPHANI II. tandem, quod eadem injuria Stricio etiam adscribitur, Harduinus pluribus rationibus probat suppositivum, et ab imperito consarcinate cæteris Stephani Responsis Carisiacis assutum; Natal. Alexander autem putat mendosum, et ablata interpunctione mediâ, ac conjunctione *si* sensui posteriori addita, restituit.

Quoad 3. R. N. Ass. Efforem hunc JOHANNES XXII. neque definivit, cum nullum definitionis monumentum produci possit, et Benedictus successor sua in Bulla referat contrarium: neque asseruit, cum præter ipsam Pontificis protestationem testesque alios, Theologi Parisienses in suo doctrinali Judicio ad Regem et in litteris ad Pontificem, ex fide dignorum relatione testentur, Joannem solummodo id recitando, nihil autem determinando aut asserendo seu opinando dixisse, quidquid in hac materia protulit: neque etiam sensit; cum ipse cuilibet sentiendi et prædicandi libertatem indulserit; disputationes fieri voluerit ad veritatem quæstionis, ab aliis inducte, eruendam; idemque non tantum sub mortem declaravit sententiam suam catholicam, sed

jam ante in diplomatibus Canonizationis sanctorum Thomæ Aquinatis, Ludovici Tolosani et Thomæ Herfordiensis, manifeste satis prodiderit.

Quoad 4. R. Rescriptum GREGORII III. ad Bonifacium commode ac communiter accipitur de infirmitate matrimonium prægressa; qua in acceptione nullus definitioni error inest. COELESTINI III. erratum, quod fatemur, non est definitio, sed privati sensus opinio; ut Innoc. III. errorem corrigens indicat verbis, in Cap. *Quanto* de Divort. ita locutus: « Licet quidam Prædecessor noster aliter sensisse videatur; » GREGORIUS IX. autem facto, dum jussit hanc Capituli *Laudabilem* de Convers. Infid. partem ex collectione a S. Raymundo adornata abesse. Eadem est responsio ad illos Pontifices, quos Alex. III. errasse, ut privatam suam opinionem in materia adhuc indecisa promentes declarat.

Inst. 3. VIGILIUS pugnavit secum ipso jam Judicatum a Menna repetens, et quæstionem de tribus Capitulis haberi prohibens, jam cognitioni per Concilium haberi concessæ per Constitutum intercedens, jam Concilium semestri spatio repudiatum tandem confirmans. 2º. Propositionem de uno in Trinitate crucifixo carne HORMISDAS damnat, Joannes II. autem acceptat. 3º. Circa FORMOSUM, ex una parte Stephanus VII. et Sergius, ex altera Theodorus II. et Joannes IX. pugnarunt se mutuo damnantes. 4º. Circa Pontificum potestatem in temporalia BONIFACIUS VIII. a Clemente V.; circa paupertatem NICOLAUS III. cum ternario tum ante tum successorum a Joanne XXII.; circa editionem Bibliorum SIXTUS V. a Clemente VIII.; circa Bullam *Unigenitus* denique BENEDICTUS XIII. qui eam in Conc. Romano dixit regulam fidei, a Benedicto XIV., qui negavit fidei regulam aut saltem negari consensit, arguuntur et emendantur. Ergo.

Quoad 4. R. Pugnam, aut potius variationem VIGILII, fuisse prudentis economiæ alternam successionem, tum ex dietis supra, tum ex notatis in Concilio sexto facile declaratur.

Quoad 2. R. Adeo HORMISDAS propositionem allatam non damnavit, ut eum nihil determinasse, nec ab eadem fuisse alienum, ipse Maxentius e Scythis Monachis unus, in epist. contra Pontificem scripta, fateatur. Prudenter vero responsum de hac controversia distulisse eundem, probat tum multorum relatione, tum insolenti Monachorum studio, injecta suspicio de latente inducendi erroris conatu; nec non periculum scindendæ unitatis ob vocum minus necessariarum discordiam orituram. His postmodum cedentibus ultro aut dissipatis, JOHANNES II. poterat jam tuto ac sine contradictione ulla definire veritatem.

Quoad 3. R. Causam FORMOSI defendit Auxilius libellis editis, et potior Scriptorum pars assensu probat; atque hinc THEODORI et JOANNIS gesta etiam laudantur. Quod STEPHANUM et SERGIUM attinet; illorum partim imperio partim consilio patrata in Formosi corpus crudelitas, erat violentia quidem tyrannidis in facto, non autem error in fide: tentata reordinatio eorum qui ordines a Formoso acceperant, vel non erat nova consecratio, sed tantum cærimonialis depositorum restitutio; vel non erat erroris prædicatio, sed actionis aberratio: præsertim cum Pontificum neuter credendum aliquid hic definiere, et valor ordinum a depositis collatorum tum temporis inter res disciplinæ, easque non penitus constitutas, numeraretur.

Quoad 4. R. *Imprimis* circa Pontificum potestatem in temporalia nulla est inter BONIFACIUM VIII. et CLEMENTEM V. discordia quoad definitionem ac rem

fidei; cum posterior, secundum hanc partem, prioris Bullas *Unam Sanctam* et *Rem non novam* confirmarit; unde si quam a Bonifacio secessionem fecit Clemens per moderationes illis adjectas, ea ad privatam Prædecessoris opinionem refertur: quanquam is Oratione in publico Consistorio habita an. 1301. protestatus fuerit, nihil a se fuisse cogitatum eorum, quæ sibi objiciebantur, et suppositis suo nomine a Petro Flotta litteris erant vulgata.

*Dein* circa paupertatem NICOLAUS III. tria edixerat: 1<sup>o</sup>. in rebus unico usu consumptibilibus posse separari usum a dominio; atque in his Ordini S. Francisci donatis dominium esse penes Romanam Ecclesiam; 2<sup>o</sup>. paupertatem, quæ omne dominium a se removet, solo usu servato, esse sanctam et meritariam; 3<sup>o</sup>. Christum verbo et exemplo hanc paupertatem docuisse. Porro JOANNES XXII. circa 4<sup>um</sup> negat usum a dominio separabilem: sed quia hoc tum per modum rationis tantum et argumentando, non definiendo profertur, tum ad forum Jurisprudentiæ aut Scientiæ moralis spectat; quæstionem id nostram non concernit, nec ulli etiamnum facultatem eripit pro libitu opinandi: circa 2<sup>um</sup> Idem nihil definit, nec illud directe impugnat; sed solum Rom. Ecclesiæ nomine, renuntiat dominio rerum Franciscanis donatarum, sicque sublata hujus paupertatis existentia, tollere ejusdem qualitates nititur; quod facti plene liberi fuit: circa 3<sup>um</sup>, quod fidei erat, quantumvis diversi, non tamen sibi contradicunt. Nicolaus enim vult, Christum aliquando hanc paupertatem etiam exemplo docuisse: Joannes autem statuit, esse hæreticum dicere, Christum nihil unquam proprii hic in terris habuisse; adeoque vult, Eum aliquando hanc paupertatem non exercuisse: quæ duo ita opposita sunt, ut tamen simul vera esse possint.

*Demum* circa editionem Bibliorum, licet illa SIXTI V. ab alia CLEMENTIS VIII. superetur; discrepantia tamen non est ad fidem aut mores spectans: nec prior promisit editionem omnino emendatam sed prout optime fieri poterat; nec posterior negat superesse adhuc emendanda: neuter etiam definit editionem suam quoad omnes minutias, sive grammaticas sive hermeneuticas, authenticam; sed tribuit duntaxat illius usui legitimam auctoritatem, et usitatum vel corrigendi vel reprobandi licentiam cohibet.

*Postremo* circa Bullam *Unigenitus* vide Tr. de *Peccatis et Gratia*.

195. *Observe*. Vindicare PONTIFICES ab aliis criminationibus, et a pœna propter has sive per naturales causas, sive per umbras, sive per diabolum illata, nostri instituti haud existimamus; tum quia in plerisque falsitas et calumnia, ab auctoribus pluribus probata sufficienter constat: tum quia ad asserendam thesin nostram, non requiritur sanctitas morum in vita, sed integritas fidei in doctrina, et in hac nequidem omni ac privata seu personali, sed in publica tantum et magisteriali seu Ecclesiæ ad fidem proposita: cujus diversitatis ratio tum ex facto Christi et revelatione, tum ex constitutione Ecclesiæ ac necessitate facile intelligitur. Ex iis tamen, quæ ad vindicandas ab erroribus objectis definitiones Pontificum authenticas diximus, infertur valida Assertionis nostræ confirmatio.

Quod enim per septemdecim secula et amplius nullus unquam Rom. Pontifex hactenus e cathedra locutus erraverit, est tum in tanta hominum, temporum, morum ac studiorum varietate supra conditionem humanam; tum in particulari nulla Ecclesia, quantumvis ab Apostolis instituta et ad Patriar-

chalem amplitudinem evecta, fuit observatum: ergo privilegium aliquod est divinitus concessum; ut recte a posteriori colligi posse videtur. Quamvis enim universim non teneat hæc consequentia: Nunquam erravit; ergo errare nec potuit nec poterit: propositio tamen nostra, suis adjunctis vestita, et tota a priori rationibus comitata, illationis plus quam materialiter bonæ veritatem ostendit, et assensum meretur.

QUERES I. *Quisnam sit sensus Ecclesiæ Gallicanæ circa auctoritatem summi Pontificis?*

196. *Nota*. In declarando Ecclesiæ Gallicanæ sensu, ad mentem et doctrinam Episcoporum, eorumque numero valentium, et omni ætate loquentium, potissimum advertimus. 1<sup>um</sup> quidem facit sensum authenticum; quia Episcopi a Deo positi sunt Ecclesiæ Pastores ac Doctores, fideique et sanæ doctrinæ depositum acceperunt: 2<sup>um</sup> facit sufficientem; quia aut omnium aut plurimum saltem suffragium pro Nationis consensu requiritur et accipitur: 3<sup>um</sup> facit indubium; quia constantia et concordia dubitare non permittunt. In præsentia quæstione tanta difficultas non videtur circa geminas condiciones priores, quam circa posteriorem; propterea quod Sanctio Pragmatica an. 1438. in Conventu Bituricensi constituta, et Declaratio Cleri Gallicani an. 1682. die 19. Martii in Comitibus Parisiensibus facta, antiquo Ecclesiæ sensui et traditæ alias doctrinæ videatur repugnare. Ut ut vero detur, Ecclesiam Gallicanam illa Sanctione aliquid mutationis aliquamdiu subiisse; eam tamen dñu obtinere non permisit proximus conditoris successor LUDOVICUS XI. et FRANCISCUS I. Francorum Reges, quorum ille Sanctionem rescindere tentavit, iste vero Concordato cum LEONE X. in Conc. Lateran. V. an 1516. constituto penitus abrogavit.

Unde unicum de memorata Cleri Declaratione examen restat; in quo præmissa de antiquæ, et subjuncta de modernæ Ecclesiæ Gallicanæ sensu responsione, disquiretur, utrum exinde aliquid communi sententiæ contrarium clici possit? Hanc in rem juvat eandem verbotenus adscribere, omisso tamen proloquio, quod pro Declarationis occasione, variorum conatus contra Libertates Ecclesiæ Gallicanæ, Primatum Petri et potestatem Ecclesiasticam, susceptos designat; nec non capite primo, quod potestatem Pontificis et Ecclesiæ in res temporales tum directam tum indirectam negans, ad nostram controversiam haud spectat.

Sic autem habet: « Nos Archiepiscopi et Episcopi Parisiis mandato Regio congregati, Ecclesiam Gallicanam repræsentantes, una cum cæteris viris nobiscum deputatis, diligenti tractatu habito, hæc sancienda et declaranda esse duximus.....

*Art. 2.* « Sic inesse sedi Apostolicæ ac Petri successoribus Christi vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctæ œcumenicæ Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate Conciliorum generalium; nec probari a Gallicanâ Ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiæ sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant. »

Art. 3. « Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos: valere etiam regulas, mores et instituta a Regno et Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis, ut statuta et consuetudines tantæ sedis et Ecclesiarum consensione firmatæ, propriam stabilitatem obtineant. »

Art. 4. « In fidei quoque quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. »

197. *Respondeo I.* Ecclesia Gallicana antiqua stat pro superioritate et infallibilitate summi Pontificis.

Prob. 1<sup>a</sup> p. 1. Ex testimonio ECCLESIE NATIONALIS; quia Avitus Archiep. Viennensis an. 503. in causa Symmachi ad Urbis senatores *a cunctis Gallicanis Fratribus scribere oneratus*, præter alia num. 176. relata, inquit: *Reddet rationem, qui ovili Dominico præest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset. Cæterum non est gregis, pastorem proprium terrere, sed judicis.* Regni Proceres in libello an. 1305. Clementi V. oblato scribunt: *Estis enim vos, Pater sanctissime, Jesu Christi Vicarius totum corpus Ecclesiæ repræsentans, qui claves regni cælestis habetis, nec congregatum totum Concilium sine vobis et nisi per vos posset cognoscere de negotio supradicto, juxta Patrum sancita, sententiamque juris et Ecclesiæ sanctæ Dei.* Episcopus Meldensis, primus Oratorum Galliæ, in Orat. Florentiæ an. 1441. coram Eugenio IV. habita disserit: « Tuum Principatum Monarchicum esse a Deo, nedum secundum communem universi providentiam, sed etiam speciali institutione inter opera restaurationis mundi a Christo institutum, teque vera legitimaque successione illum possidere, palam recognoscimus et confitemur. »

2. Ex testimonio CONCILIORUM. Teste Anastasio in vita Leonis III., Episcopi Gallicani in Pontificis illius causa ad Conc. Romanum evocati, recusarunt judicium partes, causati: *Nos sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus: nam ab ipsa nos omnes et vicario suo judicamur, ipsa a nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos est.* In Conc. Pontigonensi editi sunt duo canones, quorum alter ait: « Statuimus, ut sancta Romana Ecclesia, sicut est caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur et veneretur: et liceat ei debitum tenere vigorem, et pro universali Ecclesia exhibere curam. » Alter vero: « Ut honor Domino et spirituali Patri nostro Joanni Summo Pontifici et universali Papæ ab omnibus conservetur, et quæ secundum sacrum ministerium suum auctoritate Apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiatur, et debita illi obedientia in omnibus conservetur. » Episcopi Prov. Senonensis ad Conc. Ansanum an. 1112. pro PASCHALIS II. causa judicanda invitati, venire respuerunt scribentes: *Non videtur nobis utile ad illa concilia convenire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare vel judicare; quia nec nostro nec ullius hominum probantur subjacere judicio... et quia principales Ecclesiæ claves nolumus potestate sua privare, quæcumque persona vices Petri habeat, nisi manifeste ab Evangelica veritate discedat.*

3. Ex testimonio EPISCOPORUM. Hincmarus Archiep. Remensis in Præf. de Divort. inter Lothar. et Teutber. ait: *Omnès senes cum junioribus scimus,*

*nostras Ecclesias subditas esse Romanæ Ecclesiæ et Rom. Pontifici; et ob id salva fide, quæ in Ecclesia semper vigilat, et Domino cooperante florebit, nobis est vestræ auctoritati Apostolicæ obediendum.* Ivo Ep. Carnotensis ep. 159. scribit: *Quoniam judicia Rom. Ecclesiæ a nemine foris retractari posse didicimus, si qui aliquando se prægravatos illius auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut ab ipsa ad ipsam confugiant, et inde expectent levamen, unde se conqueruntur accepisse gravamen.* Goffridus Ep. Vindocinensis epist. 30. inquit: *Si quis igitur Apostolicæ Sedi contrarium sentit, non sapit, quicumque est ille, sed desipit, non cultor vel expositor divinæ legis, sed insidiator et oppressor indubitanter agnoscitur.*

Prob. 2<sup>a</sup> p. rursus 1. Ex testimonio ECCLESIE NATIONALIS. Avitus sup. cit. in epist. ad Hormisdam scribit: *Jam securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione polliceor, omnes vestram super statu fidei captare sententiam. Orate, ut sic nos prædictorum confessio fucata non fallat, sicut ab unitate, quàm regitis, veritas comperta non separet.* Præsules Galli, circa Sec. 10. finem, in causa Arnulphi Ep. Parisiensis ad Joannem XV. sic loquuntur: *Tandem imus in sententiam Domini dicentis, si peccaverit in te frater etc. dic Ecclesiæ; si Ecclesiam non audierit etc. Adesto Pater ruenti Ecclesiæ, et sententiam profer in medium: sentiamus in vobis alterum Petrum: ferat Rom. Ecclesia sententiam, ut intelligamus, cur inter cæteros Apostolatum vestrum præferre debeamus.* Optimates Galliæ in Libel. sup. laudato aiunt: *Non quæritur de hæresi Papæ quondam, ut Papæ, sed ut privata personæ: nec enim ut Papa potuit esse hæreticus, sed ut privata persona: nec unquam aliquis Papa, in quantum Papa, fuit hæreticus.*

2. Ex testimonio CONCILIORUM. Conc. Arelatense an. 453. in epist. Synod. ad Leon. sic scribit: *Apostolatus vestri scripta, ut symbolum fidei, quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscribit, et tenaci, ut ad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit.* Arausicanum II. an. 529: *Quod nobis secundum admonitionem et auctoritatem Sedis Apostolicæ visum, pauca capitula ab Apostolica Sede nobis transmissa ad docendos eos, qui aliter quam oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre et manibus nostris subscribere deberemus.* Turonense an. 567. statuit: *Quis sacerdotum contra talia decreta, quæ a Sede Apostolica processerunt, agere præsumat? quorum valere possit prædicatio, nisi quos Sedes Apostolica approbavit? Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcipit auctoritas.*

3. Ex testimonio CLERI GALLICANI in comitiis generalibus. Is Meloduni an. 4579. sic præcipit: *Clerici et Laici aperta professione eam fidem pronuntiant, quam sancta Romana Ecclesia, magistra columna et firmamentum veritatis, profitetur et colit: ad hanc enim propter suam principalem necessum est convenire omnem Ecclesiam.* Et in fine: *Omnia hæc sanctæ Rom. Ecclesiæ, cujus ex præceptis populum fidelem institui, et certam fidei ac morum correctionis regulam constitui oportet, judicio et auctoritati subjicimus.* Idem an. 1626. in monitis ad Archiepp. et Epp. hæc habet: *Venerabuntur etiam sanctum Patrem nostrum Papam, Ecclesiæ universalis caput visibile, Dei in terris vicarium, Episcoporum Episcoporum et Patriarcharum, denique Petri successorem, a quo Apostolatus et Episcopatus sumpserunt exordium, ac super quem Christus fundavit Ecclesiam, cui claves cæli tradens cum infalli-*

*bilitate fidei, quam non sine miraculo immotam in ejus successoribus perseverasse usque in hodiernam diem cernimus.* An. 1653. subscribentibus 85. Episcopis in epist. ad Innocentium X. ita loquitur: *Majores causas ad Sedem Apostolicam referri solennis Ecclesiae mos est, quam fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat.* An. 1660. ad Alexandrum VII. scribens ait: *Quia in hoc monte (Sede Apostolica) Dominus docet; statuimus ibi finem quaerendi, stationem credendi, exporrectionem inveniendi.*

4. Ex testimonio EPISCOPORUM conjunctorum. An 455. Episcopi tres, Cere-tius nempe Salonius et Veranus, in litteris ad Leonem datis, et inter Leoninas epist. 98. comprehensis, de Pontificia ad Flavianum epistola sic enuntiant. *Illam specialis doctrinae vestrae pagina ita per omnia Ecclesiarum conventicula celebratur, ut vere consona omnium sententia declaretur, merito illic principatum Sedis Apostolicae constitutum, unde adhuc Apostolici Spiritus oracula referuntur.* Episcopi sex an. 1140. epistola inter illas S. Bernardi 370. ad Innocent. II. scribentes aiunt: *Nulli dubium est, quod ea, quae Apostolica firmanur auctoritate, rata semper existunt, nec alicujus possunt deinceps mutilari cavillatione, vel invidia depravari.* Triginta Episcopi post latam ab Innoc. X. Constitutionem an. 1658. ita rescribunt: *Perspectum habemus non solum ex Christi pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, et ex anathematismis adversus Apollinarium et Macedonium, nondum a Synodo oecumenica damnatos, a Damaso paulo ante jactis, judicia pro sancienda regula fidei a summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione, divina aequae ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti; cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium praestare teneantur.*

5. Ex testimonio EPISCOPORUM singulorum. Hincmarus Remensis L. de Praedestin. c. 14. ait: *Catholicis hoc debet sufficere, quod omnium Ecclesiarum mater docet: oportet hoc sequi, quod illa Rom. Ecclesia credit.* Ivo Carnot. ep. 8. ad Richerium: *Hujus Sedis judiciis et constitutionibus obviare, plane est haereticae pravitate notam incurrere.* Stephanus Ep. Parisiensis an. 1324: *Ad hanc Rom. Ecclesiam, velut ad universam regulam Catholicae veritatis, pertinet approbatio et reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tuendorum et confutatio errorum.*

*Conf. utr. p. 1.* Ex testimonio ABBATUM. S. Bernardus epist. 213. Pontifices alloquens ait: *Quis mihi faciet justitiam de vobis? extat quidem tribunal Christi: sed absit, ut ad illud appellem! itaque recurro ad eum cui datum est judicare de universis, hoc est, ad vos appello: judicate et me et vos.* Idem epist. 190. ad Innocentium sic scribit: *Oportet ad Rom. Pontificis Apostolatam referri pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei; et praesertim, quae fide contingunt: dignum namque arbitror, ibi resarcire damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum.* Petrus Cluniacensis in epist. ad S. Bernard. inquit: *Haec irrefragabilis sanctae Sedis sanxit auctoritas: nos enim, quia contraire non debemus, nec de ejus unquam, quod nulli mortalium licitum est, judicio judicare.* Petrus Blesensis epist. 99. ad Urbanum scribit: *Haec sedes, columna et fundamentum veritatis, statum incolumitatis accepit.*

2. Ex testimonio SCRIPTORUM PROFANORUM. Libri Carolini L. 1. c. 6. statuunt: *Non ab aliis Scripturis, nisi ab his, quas Ecclesia Romana inter*

*canonicas recipit, testimonia sunt assumenda; nec aliorum Doctorum, nisi eorum, qui a Gelasio vel aliis illius sanctae Sedis Pontificibus suscepti sunt, dogmata sunt amplectenda.* Annales Metenses ad an. 863. et Chronicon Prumiense ad an. 839. aiunt: *Stultitia elogio denotandi sunt, qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt; quae nec sefellit, nec ab aliqua haeresi unquam falli potuit.* Philippus Galliar. Rex in epist. ad Innoc. III. an. 1209. scribens contendit, *Romani Pontificis judicium Deo soli servari ac debere: Senatus Parisiensis autem circa an. 1467. Ludovicum XI. alloquens, Sedem eandem juxta Caus. 24. Qu. 1. Can. 9. errare non posse testatur.*

3. Ex testimonio SORBONAE. Haec in Tract. Theologico Clementi V. an 1340. oblato, Romani Pontificis supremam in Ecclesia auctoritatem, fidem nunquam deficientem, judicialiter in fide definiendi potestatem asserit et probat: An. 1387. Pontificem alloquens, *ad Petri cathedram pertinere determinationem fidei, approbationem veritatis catholicae et haereticae pravitate detestationem, contestatur: An. 1629. praescripsit auditoribus Theses defensuris formulam, qua jurarent, nihil se Scripturae, Concilii oecumenicis et Decretis summorum Pontificum adversum dicturos aut scripturos etc.*

198. *Respondeo II.* Hunc Ecclesiae Gallicanae sensum antiquum non immutavit Declaratio Cleri Gallicani anno 1682. edita. *Prob.* Conditores enim hujus declarationis nec voluerunt nec potuerunt statuere sensum Ecclesiae Gallicanae recentioris diversum a sensu illius antiquae.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p. 1.* Conditores illi declarant, nihil diversum se velle ab antiqua Gallia sentire. Nam in epist. 1<sup>a</sup>. ad Innoc. XI. profitentur se *pro certo habere, quod majores sui atque Sedis Apostolicae Antistites circa Rom. Pontificum auctoritatem docuerunt; et speciatim inter priores provocant ad S. Bernardum, Goffridum Vindocinensem et Ivonem Carnotensem, de quorum mente num. prior documenta dedit: inter posteriores autem Leonem I. Gelasium I., Alexandrum III. et Innocentium III., de quibus prioribus articulis saepius sermo erat, praesertim laudant.* Praeterea in 2<sup>a</sup>. ad eund. Pontificem epistola haec addunt: *Quantum olim a Majoribus nostris Sedi Apostolicae delatum est, tantum nos, qui honoris sacerdotalis successores patrii quae animi haeredes sumus, vestrae sanctitati debere, solemniter profiteremur.*

2. Ipsi tribuunt summam auctoritatem Pontifici. Nam in Declarationis proloquio enuntiant, *Romanis Pontificibus debitam ab omnibus Christianis obedientiam, et reverendam cunctis gentibus esse sedem Apostolicam: Ibidem declarant, in Sede Apostolica fidem praedicari, unitatem servari, et pacem Ecclesiae contineri: In Declarationis etiam Cap. 2. tribuunt summis Pontificibus rerum spiritualium plenam potestatem: et in c. 4. statuunt, in fidei questionibus praecipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere.* Demum in epist. encyclica ad Epp. Regni censent, summorum Pontificum quoad fidem decretis fideles omnes esse obnoxios; et cum S. Cypriano pronuntiant, *Christum unitatem Ecclesiae ita in sede Apostolica constituisse, ut, qui cathedram Petri deserit, in Ecclesia non sit.* Addunt tandem ibidem, hanc declarationis ideam a BENIGNO BOSSUET, horum comitiorum Oratore, in se fuisse efformatam. Hic vero in

sua ad Cler. Gal. Oratione præter alia et hæc profert: *Æterna hæc cathedra, in qua Petrus semper docebit, Romæ stabilita et firmata fuit. Hæc est Ecclesia Romana, quæ a Petro ipsiusque successoribus edocta, hæresin non agnoscit. Hæc Ecclesia Romana semper est virgo. Fides Romana semper est fides Ecclesiæ: semper creditur, quod creditum est. Eadem vox ubique insonat, et Petrus manet in suis successoribus fidelium fundamentum.*

3. Idem, ubi contradicere antiquis videntur, ita sermonem temperant, ut contrarium non decernant. Sic in Cap. 2 decreta Constantiensis Synodi intelligi volunt secundum *Apostolicæ Sedis confirmationem, universæ Ecclesiæ usum, et perpetuam Galliæ observantiam*: præterea nihil de Pontificibus certis atque fidelibus enuntiatur. In Cap. 3. moderandus dicitur Apostolicæ potestatis usus per *canones*, non tamen additur, per illòs etiam juris mere Ecclesiastici: Item *valor* regulis et moribus ab Ecclesia Galliæ receptis tribuitur, nec tamen omnino immutabilis decernitur: demum ut statuta et consuetudines firmatæ habeant stabilitatem, asseritur pertinere ad Apostolicæ Sedis *amplitudinem*, non necessitatem, præsertim justis causis mutationem suadentibus. In Cap. 4. negatur *judicium* Pontificis esse irreformabile, nisi *consensus Ecclesiæ* accesserit; sed non distinguitur inter *judicium* Pontificis privatum et publicum: nec inter *consensum* vel liberum vel necessarium: nec inter Ecclesiam sive universalem, sive particularem Romanam; de quo postremo tamen distinguendo Gilbertus de Choiseul Ep. Tornacensis frustra mentionem fecerat.

*Prob. 2<sup>a</sup> p.* Efformatores Declarationis caruerunt *legitimis conditionibus*, quæ pro colligendo Ecclesiæ Gallicanæ sensu exiguntur.

Nam 1. caruerunt *judicandi opportunitate*; cum Antonius Charlas in Tr. de Libert. Gallican. negotium dicat confectum in comitiis *illegitimis*; Card. Sfondrati in Gall. vindic. totum tribuat *vindictæ et odio*: ac id saltem certum sit, quod declaratio fuerit edita, quo tempore dissidium de regaliis inter Ludovicum XIV. et Innocentium XI. fervebat, ipsi autem Patres tenebantur *gravi metu*, ut datæ ad Innoc. XII. litteræ et hujus ad illas responsoriæ aperte loquuntur.

2. Caruerunt *testantium numero*; cum ex centum triginta et pluribus regni Episcopis, fuerint his in comitiis congregati duntaxat triginta quatuor; illique non unanimi, sed consensu tantum *communi*, capita Declarationis constituerint, ut subscriptiones nominum et litteræ encyclicæ docent.

3. Caruerunt *decidendi auctoritate*; cum reliqui Episcopi a comitiis absentes congregatis, nec mandatum nec vicaria sui suffragia dederint ante; non nisi pauci autem postmodum suo consensu et litteris pastoralibus accesserint; universi demum a reliquis actis, nomine et auctoritate Cleri Gallicani editis, hanc declarationem abesse voluerint.

4. Caruerunt *approbationis subsidio*; Cum Innocentius XI. per litteras in forma Brevis datas statim resciderit Comitiorum Consulta; ALEXANDER VIII. autem solemniori Constitutione, quæ incipit *Inter multiplices*, 4. Aug. 1690. edita sic decreverit: *Omnia et singula, quæ tam quoad extensionem juris Regaliæ, quam quoad declarationem de potestate Ecclesiastica, ac quatuor contentas in ea propositiones in supradictis comitiis Cleri Gallicani an. 1682. habitis, acta et gesta fuerunt, cum omnibus et singulis mandatis, arrestis etc. a quibusvis personis editis seu publicatis etc. ipso jure nulla, irrita, invalida,*

*inania, viribusque et effectu penitus et omnino vacua ab initio fuisse et esse ac perpetuo fore, neminemque ad illorum seu cujuslibet eorum, etsi juramento vallata sint, observantiam teneri, tenore præsentium declaramus, etc.*

5. Caruerunt *constantia et efficacia*; cum non pauci ex Declarationis auctoribus suffragium suum revocarint, testantibus id communibus illorum litteris ad Innoc. XII. an. 1692. datis, quarum hic tenor est; *Nihil accidere molestius nobis potuit, quam quod eo nunc loco res nostræ sint, ut aditus in gratiam Sanctitatis vestræ nobis hactenus interclusus videatur. Cujus quidem rei cum eam fuisse rationem perceperimus, quod nos Cleri Gallicani comitiis an. 1682. Parisiis habitis interfuerimus: idcirco ad pedes Beatitudinis vestræ provoluti profitemur et declaramus, nos vehementer quidem et supra id, quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in comitiis prædictis, quæ Sanctitati vestræ ejusque Prædecessoribus summopere displicuerunt; ac proinde quidquid in eisdem comitiis circa Ecclesiasticam potestatem et Pontificiam auctoritatem decretum censi potuit, pro non decreto habemus, et habendum esse declaramus. Quin et ipse Rex Ludovicus adjecta ad eundem Pontificem epistola hæc declarat: *Atque ut filialis observantiæ, quam possum, luculentissimum specimen præbeam, Sanctitati vestræ libens lætansque significo, jam data a me esse mandata necessaria, ut, quod ad muniendam Comitiorum anni 1682. declarationem, rebus eo tum impellentibus, dederam, edictum omni careat effectu etc.**

199. *Respondeo III.* Eundem sensum etiam post famosam Declarationem retinet Ecclesia Gallicana recentior. *Prob.* Episcopi posteriores conjuncti æque ac singulares stant pro auctoritate Pontificis tum suprema tum infallibili.

*Prob. 1<sup>a</sup> p.* Plures Galliæ Episcopi tenent: 1. universæ Ecclesiæ firmitatem pendere a soliditate Romanæ Ecclesiæ ac successorum Petri: ita docent Clerus Gallicanus in comitiis an. 1705. in epist. ad Clementem XI., Bossuet Meldensis 1682. in Orat. ad Cler. Gall. habita, Fenelon Archiep. Cameracensis 1714. in Documento Pastoralis, Colongue Ep. Aptensis 1717. in Mandato, Mailly Archiep. Remensis 1718. in Mandato, Poncet Ep. Andegavensis 1721. in sermone Synodali, Argentre Ep. Tutellensis 1725. in sententia, La Fare Ep. Laudunensis 1730. in Mandato, S. Albin Archiep. Cameracensis 1739. in Documento, Belsunce Ep. Massiliensis in Documento supra Libertates Gallicanas.

2. Conciliorum generalium necessitatem absolutam esse nullam: ita statuunt Cler. Gallican. in Comitiis 1728. in epist. ad Regem, Abelly Ep. Ruthensis 1686. in Tr. de obedientia Rom. Pontifici debita, Languet Archiep. Senonensis 1719. in epist. et monito tertio ad Lamoignon, Mailly l. c. Bissy Ep. Meldensis 1722. 25. 28. in Documentis Pastoralibus.

3. Appellationem a Pontifice ad Concilium esse irritam et reprobendam: ita decernunt Mailly 1718. in Docum. pastor., Poncet 1720. in approbatione epistolæ Tuillierii, Bissy 1728. in Docum. et epist. ad Ep. Ebroicensem, S. Albin. 1732. in Documento.

*Prob. 2<sup>a</sup> p.* Gallicani Episcopi statuunt: 1. *Judicio Pontificis dogmatico* deberi ab Ecclesia universa conformitatem doctrinæ, ab omnibus autem Christianis sincerum mentis obsequium: ita conventus Episcoporum Parisiis 1714. in epist. ad Clementem, et 1717. in primo ac secundo Memoriali ad Ducem Aurelianensem; Ep. Bellicensis, Ep. Vapincensis, et Rochechouart Ep.